

Sed quia delectat Veneris decerpere fructum,
 Dicimus adsidue 'cras quoque fiet idem.'
 105 Interea tacitae serpunt in viscera flammae,
 Et mala radices altius arbor agit.
 Si tamen auxilii perierunt tempora primi,
 Et vetus in capto pectore sedit amor,
 Maius opus superest; sed non, quia serior aegro
 110 Advocor, ille mihi destituendus erit.
 Quam laesus fuerat partem, Poeantius heros
 Certa debuerat praesequuisse manu;
 Post tamen hic multos sanatus creditur annos
 Supremam bellis inposuisse manum:
 115 Qui modo nascentis properabam pellere morbos,
 Admoveo tardam nunc tibi lentus opem.
 Aut nova, si possis, sedare incendia temptes,
 Aut ubi per vires procubuere suas;
 Cum furor in cursust, currenti cede furori!
 120 Difficiles aditus impetus omnis habet.
 Stultus, ab obliquo qui cum descendere possit,
 Pugnat in adversas ire natator aquas.
 Inpatiens animus nec adhuc tractabilis arte
 Respuit atque odio verba monentis habet;
 125 Adgrediar melius tum, cum sua vulnera tangi
 iam sinet et veris vocibus aptus erit.
 Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
 Flere vetet? non hoc illa monenda locost;
 Cum dederit lacrimas animumque inpleverit aegrum,
 130 Ille dolor verbis emoderandus erit.
 Temporis ars medicina ferest: data tempore prosunt,
 Et data non apto tempore vina nocent;
 Quin etiam accendas vitia inritesque vetando,
 Temporibus si non adgrediare suis.
 135 Ergo ubi visus eris nostrae medicabilis arti,
 Fac monitis fugias otia prima meis:
 Haec, ut ames, faciunt; haec, ut fecere, tuentur;
 Haec sunt iucundi causa cibusque mali;
 Otia si tollas, periire Cupidinis arcus,